

Sint unum sicut nos!

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 17, 11 b-19

In illo témpore:

[Sublevátis óculis in cælum, orávit Iesus dicens:]

- ^{11b} «**P**ater sancte,
serva eos in nómine tuo, quod dedísti mihi,
ut sint unum sicut nos.
- ¹² Cum essem cum eis,
ego servábam eos in nómine tuo, quod dedísti mihi,
et custodívi,
et nemo ex his périit nisi fílius perditionis,
ut Scriptúra impleátur.
- ¹³ Nunc autem ad te vénio
et hæc loquor in mundo,
ut hábeant gáudium meum implétum in semetípsis.
- ¹⁴ Ego dedi eis sermónem tuum,
et mundus ódio eos hábuit,
quia non sunt de mundo,
sicut ego non sum de mundo.
- ¹⁵ Non rogo, ut tollas eos de mundo,
sed ut serves eos ex Malo.
- ¹⁶ De mundo non sunt,
sicut ego non sum de mundo.
- ¹⁷ Sanctífica eos in veritáte;
sermo tuus véritas est.
- ¹⁸ Sicut me misísti in mundum,
et ego misi eos in mundum;
- ¹⁹ et pro eis ego sanctífico meípsum,
ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte».

Verbum Dómini.